Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1419
Quelle:
Copyright:

at haec ipſa *Praefatio* in *Codice* noſtro verſa eſt ad *Maximilianum* I. Imp. qui, ut erat omnium diſciplinarum curioſus, *Talmudis* notitiam ſibi a *Ricio* Exhebraeo Medico ſuo ſuggeri poſtularat. Ita enim hic orditur: *Efflagitaſti, Inuictiſſime et omnium clementiſſime Ceſar, ut uetuſta illa, abſtruſaque moſaica uolumina, que Talmud appellari libuit — in latinum eloquium conuerterem.* Cetera ut plurimum iisdem verbis, ut in Editis. Ultra hoc et alterum N. III. Specimen haud progreſſum putem *Ricium*, morte fortaſſe *Maximiliani* dimotum. Vide, et emenda ex dictis *Wolfii Bibl. Hebr. Vol.* I. p. 967. quamvis rectiora tradat *Vol.* III. p. 918.

II. *fol.* 34. ſequuntur, ut Titulum ex edit. Auguſtana ejusd. anni 4. tranſcribo: Ejusdem *Naturalia et prophetica de Anima coeli omni attentione digna aduerſus Eckium examina.* Codex a Praefatione incipit: *Sancta quidem ruſticitas, ut hieronimus loquitur, ſibi ſolum prodeſt* &c. narratque controverſiam ortam *Ingolſtadii* in doctorum virorum conventu coram Cardinali *Gurcenſi* (addit Codex *Aceranum* Epiſcopum et *Sperantium* Praep. *Brixin.*) cum *Eckio Coeli Animam* tunc ore, dein in Libro *de Praedeſtinatione* adverſus Noſtrum, et quidem merito, impugnante. Codex ab Editis non raro variat.

III. *fol.* 85. Ejusdem Epitome Tractatus סנהדרין five *Sanhedrin, de Synedriis*, qui eſt quartus Ordinis IV. נזיקין five *Neſikin*, id eſt *de Damnis.* Juncta eſt haec Epitome in edit. *Auguſtana ſupracit.* alteri N. I. relatae. Verum in Codice mutila eſt, et non niſi a C. XI. dicto *Helek* (חלק) incipit. Excipiunt illam: *Ex Talmudiſtarum Gloſa* (ſive Gemara) *in Capitulum Helek memoratu digna Excerpta*, quibus animadverſiones ſuas *Ricius* e Chriſtianorum ſenſu interſerit. Haec quoque *Excerpta* in edit. memorata reperiuntur, ſed ita praepoſtere, ut poſitae ſint initio poſt *Maimonidis* Praefationem, dein ſequatur Tractatus *Sanhedrin*, et Tractatus *Berachoth* concludat. De variatione jam dixi. Addam aliquid de Autore. *Paulus*, non *Riccius*, verum *Ricius*, *Ritius*, ריקיאוס et, ſi quidem Germanus fuit, *Ritz* aut *Rick*, etiam *Iſraelita* dictus, ex doctiſſimis certe Hebraeorum fuit, qui Chriſto nomen dedere, praeſertim in Cabbaliſticis. Scripta ejus enumerant *Baylius* in *Dict. Fabricius Bibl. med. Lat.* et praecipue *Wolfius Bibl. Hebr. Vol.* I. p. 966. III. p. 915. IV. p. 951. Ex editione quorundam ejus Opuſculorum *Papiae* 1510. 4. liquet, eum annis aliquot ante ad Sacra noſtra traductum fuiſſe opera *Job. Bened. Monceti* ex Eremitis Auguſtinianis, et *F.* cujusdam *Gometii*, niſi in alterutro nomine typi fallant. A *Matth. Langio* Card. *Gurcenſi*, quem in *Praef.* N. noſtri II. *Herum* ſuum vocat, in Germaniam ſeu adductum ſive reductum, traditumque *Maximi-*

liano